



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Malè blandiens mulier, aut voluptas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

freti, in *Ploras* usque insulas, in mari Jonio sitas, monstra infestissima fr-
gârunt; longiùs ea persecuturi, nisi Ægyptiæ Deæ *Isidis* oraculo admo-
niti fuissent, ne *Jovis canes* (sic enim *Harpyias* appellabat) ulterius
profligarent; quare retrorsum conversi, duas illas insulas, in quibus
Harpyias reliquerunt, à *conversione* sua *Strophades* nominarunt.

Ethica.

Varios hæc fabula conceptus subministrat, quos antequam pro-
feramus, Maronem audiamus 3. Æneid. de *Harpyis*, Æneæ classem ad
Strophadas appulsam incessentibus.

-----*Strophades* Graio stant nomine dictæ
Insulæ, Jonio in magno; quas dira *Celæno*,
*Harpyiæ*que colunt aliæ, *Phinæia* postquam
Clausa domus; mensasque metu liquere priores
Tristius haud illis monstrum, nec savior ulla
Pestis, & ira Deum *Stygijs* sese extulit undis,
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncaque manus, & pallida semper
Ora fame.

In his insulis dum accubabant epulis Troiani,
En subito horrida lapsa de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiant clangoribus alas:
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo.

I. (a) *Apulejus* has *Harpyias* pro nequissimis mulieribus usur-
pat, quæ vel rixando unguibus in alios involant, vel blandiendo & vul-
tu ad nequitiam composito incautos pecunijs emungunt. Non in scitè
hoc. Nam virginei vultus, unca manus, proluvies ventris ostendunt
sub specie castæ virginis, malè blandientem libidinem latere, quæ deni-
que infame sceleris pretium cum turpi cupiditate effundit. Sed de hoc
argumento alibi.

II. (b) Ad avaritiam *Harpyias* alij referunt. Finguntur enim
virgines, quod omnis rapina arida sit & sterilis, & malè quæsitis tertius
non gaudeat hæres. Plumis sunt circumdata, quia, quidquid invase-
rit rapina, celat. Volatiles dicuntur, tum quod habendi cupiditas sit

in
(a) Nequam mulier, aut malè blandiens libido. (b) Avaritia per *harpyias* sig-
nificata.